Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26970
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mundat. uenienti ad penitentiam uiam preparat. IN EXP. ET LECT.
OMEL. XI. Si dormiatis inter medios cleros penne columbe
deargentate. et posteriora dorsi eius in specie auri. Cleros
latina lingua sortes dicimus. Dormire autem nostrum est a praua
actione quiescere. Et quia electi quique a peruersorum operum se inquietu-
dine compescunt. et celestia concupiscunt. nimirum inter medios
cleros dormiunt. qui fugiendo temporalia et eterna premia
desiderando a prauis actibus quiescunt. Mente quippe ad summa
uolant. unde et penne uocati sunt. qui bene penne columbe de
argentate esse memorantur. Columba uero deargentata sancta ecclesia
est. que apte predicationis luce resplendet. Sed hec columba in pen-
nis quidem deargentata est. sed posteriora dorsi eius in auri specie
refulgent. quia sancta ecclesia modo per predicantium linguas clara est. in
illa remuneratione que sequitur. non iam argenti sed auri fulgore
decoratur. Ad illa quippe inuisibilia bona perueniens ad illa
celestia dona pertingens. que nec oculus uidit. nec auris au-
diuit. iam predicationis eloquio non indigebit. sed sola auri
specie in posterioribus pulchra est. quia in eo quod accipit solo
resplendet fulgore claritatis. IN EXP. EVG. OMEL. XVIIII.
Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. dedit dona
hominibus. Quod in his prophete uerbis. non ascensio dominica decla-